

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1798

**Auteur(s) :** Richard de Gloucester, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Robert, Gloucester (comte)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1138

**Lieu d'émission :** Bayeux

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Fondation de l'abbaye Notre-Dame d'Ardenne. Richard, évêque de Bayeux, fait savoir qu'il a dédié à Notre-Dame l'église construite par Aiulf du Marché à Ardenne, et qu'il y a installé des chanoines réguliers. Un accord a été passé entre ces chanoines et le prêtre de Saint-Germain-la-Blanche-Herbe.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Bajocensis, n° IX, col. 77-78.

Texte établi d'après a

Richardus, Dei gratia Bajocensis episcopus, Roberti comitis Glocestriæ filii regis Angliæ filius, tam præsentibus quam futuris salutem. Notum vobis sit quatenus in territorio quod ab antiquis Ardena appellatur, ecclesiam in honorem S. Mariæ dedicavimus, quam Aiulphus de Foro concedentibus filiis suis Willelmo de Baron, Cælardo de Hermanvilla, Guarino, Waltero monacho, construxit, ibique et eorum concessu regulares canonicos Domino consecratos pro redemptione animarum in Dei servitio perseverantes perpetuo constituimus anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo octavo. Eodem tempore conventio facta est inter canonicos de Ardena et sacerdotem de sancto Germano de Albaherba husjusmodi. Concessit autem presbyter canonicis de Ardena, curiam suam habere solam et quietam de decimis et redditibus, et omnibus consuetudinibus prædictæ ecclesiæ S. Germani pertinentibus, decimas etiam et omnes consuetudines totius campi qui extenditur usque ad viam quæ est juxta terram Willelmi Crassi et suorum antecessorum ; et ex altera parte usque ad capita terrarum Cadomi, excepta una acra quæ est juxta murum curiæ. Concessit etiam prædictus presbyter canonicis decimas et consuetudines illius acræ ubi fovea est juxta domum Willelmi Coronati, et decimas et consuetudines unius acræ quæ est inter viam Bajocensem et viam Francæ-villæ. Hoc autem futurum esse ratum et firmum adfidiaverunt canonici et Matthæus presbyter sancti Garmani. Ut autem hæc conventio rata et firma teneretur, concessa est presbytero sancti Germani tota decima heredum Aiulphi de Foro in Franca-villa et in Ardena. † Teste Willelmo Crasso ante quem hæc conventio firmata est, † et Stephano presbytero de Maton, et Anshetilo ed Aniseio presbytero, et Helia presbytero de Hamars, et Roberto Martra, et Rogero de Hamars, et Stephano canonico, et Hugone de Montibus, et Willelmo filio Polinæ, et magistro Morello, et Ranulfo presbytero de Colombellis, et Hamone filio comitis Glocestriæ, et Silvestro filio Paganelli de Buron, et filiis Aiulphi Willelmo de Baron, Cælardo de Hermanvilla, Guarino et Waltero monacho, qui prædicti Aiulphi filii concesserunt hæc omnia prædicta canonicis et presbytero de sancto Germano. Præter hæc omnia dederunt ecclesiæ sanctæ Mariæ de Ardena, unum campum juxta viam

Bajocensem, et alium campum ex altera parte viæ. Dedit autem et Robertus regis filii Glocestriæ consul, pro anima patris sui in eleemosynam perpetuo, unam de præbendis præfecturæ Cadomi. Mihi quidem reddidit Cælarus de Hermanvilla totam suam decimam de suo proprio dominio in Hermanvilla, et ego pro Dei amore dedi ecclesiæ et canonicis sanctæ Mariæ de Ardena. † Teste Matthæo archidiacono, et magistro Vufrido et Richerio canonico, testibusque prædictis Aiulphi filiis qui cum sua matre concesserunt, ea videlicet conditione, ut si quis temerario ausu venerandæ matri ecclesiæ concessa beneficia subripere tentaverit, persistendo orthodoxorum communitate careat, iram omnipotentis Dei anathema factus perpetuam incurrat. Dedit autem Willelmus de Baron ecclesiæ et canonicis tria sextaria frumenti et totidem hordei per singulos annos. † Teste Joanne cognato prioris Gilleberti, et Rogero fratre ejus. Concessit quoque Willelmus Crassus pro anima sui patris ecclesiæ prædictæ et canonicis, unam acram terræ quæ est juxta puteum Ardenæ. † Teste Gaufrido Cornefol, et Johanne cognato Gilleberti prioris, et Rogero fratre suo, et Waltero Anglico, et Willelmo Coronato. Dedit et Odardus de Bitot ecclesiæ et canonicis, dimidium campum qui est inter Bitot et Ardenam, pro fratre suo qui canonicus fuit in eadem ecclesia. † Teste Johanne cognato Gilleberti prioris, et Rogero fratre suo, et Rogero de Bitot, et Willelmo Coronato, et Henrico filio Gilleberti. Dederuntque filii Hamelini ecclesiæ et canonicis unam acram terræ quæ est juxta campum Odardi. † Teste Roberto de Aquellis et uxore, et Henrico filio eorum, qui pro Dei amore concesserunt hos duos campos canonicis bene et in pace. † Teste Joanne cognato Gilleberti prioris et Rogero fratre ejus, et Rogero de Bitot, et Willelmo Coronato, et Odardo de Bitot. Dedit autem ecclesiæ et canonicis Willelmus de Buron pro anima patris sui, et matris et fratris, et pro sui ipsius anima, unam acram in Varena lunga. † Teste Joanne cognato Gilleberti prioris, et Rogero fratre suo, et Nargesia filio Willelmi, et Willelmo Coronato, et Willelmo filio Huelinæ. Paganus de Buron dedit ecclesiæ S. Mariæ de Ardena, tres virgatas terræ in Varendam lungam, qui et sepultus est in eadem ecclesia. † Teste Silvestro filio suo qui hoc concessit, et Joanne cognato Gilleberti prioris, et Rogero fratre suo, et Willelmo Coronato, et Willelmo filio Huelinæ. Dedit autem et Silvester filius prædicti Pagani ecclesiæ sanctæ Mariæ, unum campum qui est inter terras de Bitot de feodio Aiulphi de Foro. † Teste Godefrido de Buron, et Willelmo filio Huelinæ, et Torgisio filio ejus, et Joanne cognato Gilleberti prioris, et Rogerio fratre ejus. Deditque Robertus Dosnellus ecclesiæ et canonicis, tres virgatas terræ super ecclesiam S. Germani. † Teste Joanne cognato Gilleberti prioris, et Rogerio fratre ejus, et Willelmo de Baron, et Roberto Bagot. Dedit etiam Gaufridus de Opido ecclesiæ et canonicis duas acras inter Cadomum et Ardenam. † Teste Joanne et Rogero cognato prioris. Dedit et Henricus filius Herberti duos campos super sanctum Germanum. † Teste Rogerio nepote ejus, et Waltero filio Aiulphi, et Adam de Franca-villa. Dederunt etiam filii Aiulphi unam domum in foro Cadomi juxta furnum Richardi de Croleio. † Teste Joanne cognato prioris, et Rogero fratre ejus. Hugo, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, tam prælatis sanctæ ecclesiæ quam subditis, salutem, gratiam et benedictionem. Notum sit vobis quod hanc cartulam nobis præsentatam et sigillo episcopi Bajocensis confirmatam, et nos apostolica auctoritate confirmamus juxta præscriptam sententiam episcopi Bajocensis. Hanc chartam in capitulo Bajocensi coram personis et minoribus recitatam confirmat etiam totus conventus Bajocensis, verbo et sui impressione sigilli.